

1983-04-27 – SS Ioannes Paulus II – Littera ‘Quanta Religione’

IOANNES PAULUS PP. II

LITTERAE APOSTOLICAE

QUANTA RELIGIONE

**CONCEDITUR FACULTAS CORONANDAE IMAGINIS B. V. M.
QUAE COLITUR IN CATHEDRALI TEMPLO OPOLINENSI, IN POLONIA**

Ad perpetuam rei memoriam. – Quanta religione et amore Polonus populus, ducibus Episcopis, Mariam, Christi Matrem castissimam, per aetates prosecutes sit ac prosequatur, tum innumera tempia ostendunt, sanctissimae Dei Parenti sacra, tum etiam pulcherrimae beatae Matris imagines hic illic veneratae, terram illam stellantes. Neque sane umquam Polonus paenituit se tantopere Mariam honorasse, quam profecto tot in pacis discriminumque casibus, non modo patronam fidissimam, sed et matrem sollicitam esse senserunt. Hanc ob rem, cum Venerabilis Frater Alfonsus Nossol, Episcopus Opoliensis, iam ab hac Apostolica Sede suo clericu populique nomine petierit ut *Imago beatae Marine Virginis*, quae ibi loci, in cathedrali templo colitur, pretioso diademe redimiri posset, Nos, quibus haud ignota historia, prodigia, pietas egregia populi erga amabilem Christi Matrem, tanta arte ac fide in imagine illa adumbratam, nimirum pro certo habentes concessum privilegium posse pietatem in pectoribus alere ad dioecesis profectum, quam aequissimo animo admotae postulationi concedimus. Placet igitur pictam *Imaginem beatissimae Dei Matris Opoliensis*, quam diximus, nomine et auctoritate Nostra redimiri pretioso diademe, stata ac sollempni caerimonia, qua die et hora opportunior visa fuerit. Contrariis nihil obstantibus. Ceterum, per occasionem Mariam, Matrem omnium dulcissimam in vota vocamus, ut, quae Polonorum Regina dignata est appellari, tum ad populum, tum etiam ad sollerterem industriumque Pastorem benigna respiciat.

*Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXVII mensis Aprilis, anno MDCCCLXXXIII, Sanctissimae
Redemptionis Nostrae Iubilaeo.*

AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*